

**Votiva acclamatio
ad reverendissimum
dominum, s. th.
doctorem,
episcopum di...**

Dahl, Zacharias,

1700-1829 81 Cbza Fo1.



National Library
of Sweden

VOTIVA ACCLAMATIO

Ad

Reverendissimum Dominum,
S. Th. Doctorem,

Episcopum Diœces. Aboens. & Acad. Pro-Cancellarium,

**D^N JONAM
FAHLENIUM,**


è Schola Wasensi
transmissa,

Cum Eum Amplissimis, in Ecclesiastico statu, honoribus
S. R. Majestate clementissime adnotum, publica omnium lætitia, pri-
mum percepisset.

*Suscipe Wasensis tenuem ferventis honorem,
Aspice, Mæcenas, adaita vota Schola.*

A B O A E,
Excud. Reg. Acad. Typogr. Joh. Kiämppe.

G. H. F. J. J.



FINNIA, quæ multos fueras afflicta per annos,
Et flecti sacros religione Patres:
Quam texere brevi gemina sub tempore noctes;
Phosphorus en! alto te bonus axe fovet,
Et mea suspexit tacito mens pectore sidus,
Quod dudum norunt docta fluentia Sala:
Latius at postquam penes *Aura* littora fulget,
Afficit obscuros lumine grato oculos.
Dum fuimus *Trões*! cecinit quoque nostra *Thalia*,
Nonque coacta suos novit inire modos.
Jam quatit atque strepit: canerem! sed ceu *Anser Olores*
Inter, & *Anchises* arma vetusta crepans.
Iessera devoti magis est quam vena *Poëta*;
Mentem non calamum respice, *Magne Pater*.
Præsul hyperboreis non exoptatior unquam
Obtigit, & faustis nec magis auspiciis.
Vota suos subeunt numeros, nec vota calentes
Omittunt animi; vota diu repetunt:
Ter *Reverende Parens*, Exoptatissime *Præses*,
Eusebia sacris Te *Deus* ipse dedit!
Te *Musa*, *Charites* casta, *Bona* quæque sequuntur;
Virtus, & *Vera* religionis amor.
Præsule Te, mihi spes, splendet post nubila *Phœbus*,
Solamen fessis & nova lux tenebris.
Vive diu sospes, seros *Venerate* per annos;
Ceu vovet hanc multis fistula quassa *Tui*.

Concine, Musa, melos, gratantia tangito plectra,
Barbita dent sonitum fidibus conjuncta iucundum;
Exprime, quæ quassant animum, præcordia, mentem,
Gaudia; ne latitans tua sit reverentia; Perge
Carmina pro modulo lato modularier ore,
Carmina devotam & latam testantia mentem.
Cursat enim volitans hæc circum compita fama,
Sic Regi Regum, Dominum Dominoque Potenti,
Et simul Augusto Suiorum Regi FRIDERICO,
Eximium pietate Virum, Athletamque Tonantis,
Atque Professore[m] Prima cum laude Lycei
Auracii, nec non Doctorem Thejologia
JONAM FAHLENIUM, senio meritisque Celeberrim
Perplacuisse, ut iam sit factus EPISCOPUS Almus
Fennonia, foveat quo Tempia Scholasque benigne.
Fergo concine, Musa, melos, & tangito plectra,
Sis licet exiguo ac tenui suffulta cothurno.
Scis tamen, ut semper te foverit iste Patronus;
Discutias ergo trepidantem corde timorem,
Ausus innocui veniam dabit ille petenti;
Idcirco illius supplex devolvere ad aras,
Ac humili tales depromito pectore voces:

Præsul & Antistes, Virtus, Columnenque Decusque
Grande Gregis sacri! Mæcenæ ter Venerande!
Summe Patrone, Pater! tremulis ignoscito coeptis,
Argutos Anser quod non vereatur Olores
Audaci nimium petulans imitari[er] ausu,
Dum tenui Eximios calamo gratatur Honores,
Et simul exoptat felicia quæque Patrono.
Dum pergunt alii meritas Tibi dicere laudes,
Sum ratus esse scholæ nostrati dedecus ingens,
Inter communem plausum si sola taceret.
Non equidem potis est fragilis mea cannula laudes
Decantare Tuas, quas ingens Fama per orbem
Veclitat; has etenim dignis exponere verbis
Nostra Thalia nequit, minor est cui copia fandi,
Sed tantum paucis cordicitus hæcce precatur:

Præsule Te vigeat, vireat Respublica sacra!
Floreat Auracius Pindus! sic Tempia scholæque!
Prospera quæque Tuam comitentur fata Liaram!
Dumque iter ad Regni spatiosa Palatia tendis,
Quo Te detrudunt communia vota precesque,

Indubitata salus Christi gregis omine leto
Fulget & apparet: Dominus comitetur euntem!
Ac iterum incolumem Patria saluumque reducat!
Vive Patrone diu! Mæcenæ vive Clienti!
Sospes vive diu! cælum Tua sospitet acta!
Cum tamen has terras & cuncta caduca relinques
Post longum tempus, speciosa Palatia cæli
Scande! ac æternum superum sociare manipulis!

Zacharias M. Dahl.

